Furem, a quo res noſtras iudicio repetere poterimus, occidere non licet.

QVis furor, ô miſeri, quæ tanta licentia ferri,
De præda iugulare homines? Vnde iſta voluptas
Sanguinis, ardentes læto ſatiare dolores,
Carnificeſque manus hominum temerare cruore,
Atque palam ſemet turpes dimittere in iras?
Nonne pudet ſimiles vultus, paria ora ferentes,
Ob leue neſcio quod facinus, ſubducta doloſè
Vaſcula, fraudatámue penum, dimittere læto,
Dignarique odijs magnis tam vile merentes?
Scilicet argenti tanta eſt fuluique metalli
Maieſtas, quam contra animas impendere vile
Humanas? damnumque adeo de paupere furto,
Vt niſi peccantis nequeas ſarcire cruore?
Vſque adeo res vilis homo eſt? Quem rector Olympi
Effinxit meliore luto, formaque beauit
Egregia, & patrio iuſſit ferre æmula cælo
Ora, nec in curas animo deſcendere inertes.
Vſque adeo nihil eſt, quod mentem ex æthere ſummo
Particulam cæli, noſtros dimiſit in artus;
Iuſſit & arcano corpus vegetare calore?
Vnde hæc durities, & mens tam gnara nocendi?
Quo ſenſus abiere pij, moreſque benigni?
Alma quidem natura parens molliſſima finxit
Corda hominum, lachrimaſque dedit, ſenſumque doloris
Externi, docuitque graues inſontis egeni
Flere vices, duramque vltro miſereſcere ſortem
Proſtantis pupilli, animique haud digna ferentis:
Sed nos in peius ruimus, moreſque nefandos
Paulatim induimur, ſacroſque extinguimus ignes
Clementis naturæ, ex quo mortalibus ægris
Vaſe [illegible]ometheo miſerum prorupit in orbem
Dete[illegible]nda cohors, arctiſque in faucibus hæſit
Spe[illegible] melior, quæ deinde imam ſubſidit in ollam.
Nunc mala progenies, nunc intractabile vulgus
Naſcimur, inque omnem penitus deſcendimus vltro
Nequitiam, quoniam mentes ſceleratus habendi
Incæſtauit amor, cuius de ſemine fœdo
Innumeræ peſtes Erebi, diræque malorum
Naſcuntur facies: Ruptrix iniuria pacis,
Bile tumens liuor, iuſque indignata ſecundum
Ambitio, & ſtricto væcors Diſcordia ferro,
Atque inuiſa Deis periuria, & neſcia flecti
Sæuities, pendenſque metus, Curæque prementes,
Et dolus, & cæcis gaudentia furta tenebris.
Diſcite mortales nimios odiſſe furores
Turpis auaritiæ, atque iras tenuiſſe modeſtàs.
Sunt fora, ſunt lites, ſunt ſancti iura theatri,
Decretæque malis plagæ, medicinaque vitæ
Supplicia, & nullum pœna ſine vindice crimen.
His furem (quando hæc animis tam ſæua libido)
Caſtigare licet. Reddat cum fœnore noxam
Damnatus, meritumque caput, ſic lege iubente,
Perſoluat ſceleri. Sed vos de cæde prophana
Innocuas ſeruate manus, nec ſumite pœnas
Quas homini ſumpſiſſe nefas, modo certa poteſtas
Vindictæ, nec vis magni metuenda pericli.
Namque nocens, animoque ingentis conſcius auſi,
Qui ſub luce palam furem mactauit inermem,
Nec timuit vetitum Phœbo oſtentare cruorem.
Sic mitis natura docet, multumque verendi
Edixere patres, ſacroque volumine Moiſes
Entheus admonuit, magnam cui mentem animumque
Vltra hominem Omnipotens dedit, & ſacra ora recluſit.

Si vir & vxor rem aliquam ita emerint, vt ſuperſtiti tota deferatur, & deinde ſimul in naue perierint, vt noſci non poſſit, vter prior mortuus ſit, res ad mariti hæredes quaſi diutius viuentis deferetur.

ÆQueuas iunxere faces iuuenilibus annis
Argiuus Telemas, Cadmique ab origine Thiſbe.
Sic Paphiæ viſum: neque enim melioribus vnquam
Auſpicijs intrauit Himen, ita mutua vtrinque
Vulnera, concordeſque pares ſenſere ſagittas.
Et nunc in longum ſinceri pignus amoris
Fœdera conciliant vitæ, triſteſque dolores
Premeditantur, acriſque parant ſolatia luctus.
Inſula in Ogigia campus iacet vbere gleba
Fertilis, & fuluo venas ſcrutabilis auro,
Hunc precio fecere ſuum, legemque dedêre,
Vt cum fata volent, & mors inimica reſoluet
Gaudia connubij, maneant hæc rura cubile
Orbatum, capiatque ea triſtia dona ſuperſtes
Nequicquam ingentem conſolatura dolorem.
Sic pactum. Sed enim diri mala gaudia lucri
Ambo diffugiunt animis, & ab omine fœdo
Declinant, eademque pij concordia voti
Non ſupereſſe rogis, pariterque occumbere læto.
Quis Deus immites tam pulchra rogantibus aures
Aduertit, caſtaſque preces errore ſiniſtro
Dictauit fatis? Animo ſubit ecce voluptas
Infœlix Telemæ, patrios remeare penates,
Optatumque videre Argos, diteſque Mycenas.
Ergo ratem (neque enim Thiſbe comes ire recuſat)
Conſcendere ambo, placidéque fauentibus auſtris
Vela dabant, iam ſaxa procul, iam curua Cariſti
Littora ſubſidunt pelago, læuaque relictæ
Cyclades, apparent vrbes, & Achaica latè
Rura, fretumque aliud dextra regione ſecandum.
Cum ſubito horrendam denſa caligine noctem
Pretexunt cælo nubes, & clauſtra frementis
Æoliæ conuulſa ſonant, emotaque fundo
Æquora, & egeſtæ ex imo voluuntur arenæ.
Ipſe manu clauum rector dimittit inerti,
Et pelago puppim mandat, cæcumque gemiſcens
Fertur iter. Gremio mæſti confuſa mariti
Hæret inops mentis Thiſbe, defectaque ſæpe
Illius ad vultus redit, & reuocante marito
Viuit adhuc, huic ægram animam moritura reſeruat.
Fortior ille malis, ſed enim pro coniuge chare
Angitur, & nollet ſociam ſumpſiſſe pericli.
Multa illi inter ſe duri ſolatia caſus
Miſcebant, cum iam cæli pelagique tumultu
Quaſſa ratis proram ſcopulis illiſit acutis,
Amplexoſque ſimul vaſtum mare ſorbet amantes,
Fœlices animas, voti quibus ampla pudici
Contigit vſura, & læto haud potuiſſe reuelli.
Nunc & in Eliſijs (ità fas mihi credere) campis
Indiuiſi errant, vetereſque fatentur amores.
At manus hæredum (quæ tanta audacia) tetrum
Auſa nefas, ſocij conſortia rumpere fati,
Atque odijs turbare domos. De diuite campo
Ambigitur, quem pacta iuuent, cui præda feratur
Atque vter Argiuis ſpirarit longius vndis.
Quis pudor, ô miſeri, charos committere manes
Degenereſque ſequi lites? Natura priorem
Occubuiſſe docet Thiſbem, quæ pectore molli
Exanimiſque metu primas defecit ad vndas.
Illum credibile eſt, melior cui ſexus, & ætas
Floreſcens, ſolidæque magis ſub pectore vires,
Obluctaſſe Diu fatis, tardeque malignam
Expiraſſe animam, vitamque dediſſe procellis.